

fuit, emergere. Misceantur diversi colores, diversam à se sobolem parient. Sic alii, ut Cardanus, venenorum argumentum saporem odorem esse suspicantur. Sed nugæ, speciosò tegmine se palliantes, i e, mistione. Attende paulisper miscibilium naturam, earūq; virtutes, quousq; se extendant, attende. Conferamus, operæ pretium erit, vires, & facultates occultarum supra quodammodo intellectarum: quomodo has planè miraculorum effectrices ad illas languidarum virium hæredes reducemus?

§. 30. Non diffiteor novam, & diversam progigni posse qualitatem. Pictores illud, novarum rerum fectores, edoceant. Ex nova mistione Qualitatum novum colorem educunt, & quasi ludunt. Sed anè aliud quiddam prodit, quàm color? nonnè prodiit species, quæ æquè de naturâ coloris participat? si ergò participabit æquè, de viribus etiam participabit, quæ eandem naturam æquè consequuntur. Hinc nova species earum virium ex iisdem principiis, quæ quod non habuere, communicare non potuerunt. Idem statuendum de mistione primarum cum secundis, de *ἰδιοσυμμετοῖα*. Quarum virium manifestæ, notum est: talium etiam si necesse est nova proles, ex hisce Parentibus progenita. Ut illæ deprehenduntur sensibus nuntiis nostri intellectus; sic & nova illa qualitas i. e. erit manifesta. Nec quicquam proficiunt, si occultam mistionis rationem protendant. Hæc enim nullas poterit vires inferre aut superaddere. Idem valet, id est parum aut nihil potius, si peculiarem proportionem manifestarum indigent, ad mistionem ingredientium, quia quid redeat, notum satis est, temperies scilicet manifesta satis. Qui odorem & saporem accusant, refutatione vix digni; quasi verò omnia foetida venenata, & omnia minus jucunda occultè agentia.

§. 31. Alii cum se hâc via non posse ire viderent, manifestis sepositis ad formam misti confugere; sed eodem & infelici successu. De hâc mixti formâ, utut dubitent, dubitandi ratio sit seposita: positò dari, dico tamen fore elementarem earundem virium. Et si ab hâc emanant, ut proprietates, quam diu durat ea forma (sed manet quamdiu mistum) tam diu etiam deberent cōstare vires: sed non constant semper, & in omnibus; sæpè occulta quæ aderat, tempore perit. Sic caseum multi averfantur ex occulta vi, postea in deliciis.